



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Quæstio II. Utrum Ss. Cyprianus, Hilalarius, Ambrosius, Chrysostomus,
Augustinus, & Bernardus sententiæ Burneti præiverint?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

HOMIN. POST MORTEM. 575

Homines impios statim ab obitu suo æternis ignibus tradi, tum S. Scriptura apertè docet exemplo *divitis Luc. 16.* tum clarè definitum est à Synodo FLORENTINA in Decreto his verbis: *Diffinimus... illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Denique quod de *divite S. LUCAS* memorat, veram historiam esse, disertè docent Ss. AMBROSIVS in c. 16. *Luc.* HIERONYMVS L. 2. in *Jovinian.* AVGVSTINVS L. de cura pro mortuis c. 14. GREGORIUS L. 4. *Dial.* c. 29. Idque satis colligitur ex adjectis personarum nominibus propriis, quibus Christus in parabolis uti non consuevit.

Q U A E S T I O II.

Utrum Ss. CYPRIANVS, HILARIVS, AMBROSIVS, CHRYSOSTOMVS, AVGVSTINVS & BERNARDVS sententiæ Burneti præiverint?

Burnetus temere ac impiè hos Ss. Patres sibi vindicat. Et quidem I. S. Cypriani testimonia luculentiora sunt, quàm ut dubium ullum relinquere possint. In epistola ad *Sergium, Rogatianum*, aliosque Confessores, eos hortatur, ut in confessione cœlestis gloriæ fortes & stabiles perseverent, & ingressi viam dominicæ dignationis ad accipiendam coronam spiritali virtute pergant. *O beatum, inquit, carcerem, qui homines Dei mittit ad cœlum; nemo mortem cogitet, sed immortalitatem; nec temporariam pœnam, sed gloriam sempiternam, cùm scriptum sit: Pretiosa est in conspe-*

dican.
turSs,
Pa-
tres.

*conspēctū Domini mors Sanctorum ejus. Quando ergo judicatu-
 ros vos, & regnatu-ros cum Chri-
 sto Domino cogitatis, exsultetis necesse est, & fu-
 turorum gaudio presentium supplicia calcetis.
 Beata enim femina, qua vobiscum sunt in eadem
 confessionis gloria constituta, non solum ipsa ad
 coronam proxima sunt, sed & ceteris quoque fe-
 minis exemplum de sua constantia prae-
 buerunt. Denique Dominum precatur, ut initiis ad summa
 pergētib, quos confiteri fecit, faciat & coro-
 nari. Opto vos fratres charissimi, bene valere,
 & ad coronam caelestis gloriae pervenire. Idem
 in ep. ad Martyres & Confessores: Quosdam, in-
 quit, jam comperi coronatos, quosdam verò ad
 coronam victoriae proximos. Laniena gravior
 ad hoc diu perseveravit, non ut stantem fidem de-
 jiceret, sed ut homines Dei ad Dominum velocius
 mitteret. Hic est agon, quem nobis ostendit B.
 Apostolus Paulus, in quo oportet nos currere, &
 ad coronam gloriae pervenire. Hunc igitur ago-
 nem Mappalicus suo & collegarum nomine Procon-
 suli repromisit. Nec fefellit in promisso suo, &
 palmam, quam meruit, accepit. In ep. ad Moy-
 sen, Maximum & ceteros Confessores, eos lau-
 dat, qui jam de seculo recesserunt, confecto-
 que itinere virtutis ac fidei, ad complexum & osculum
 Domini, Domino ipso gaudente venerunt. Vi-
 de supra jam laudatum ejusdem S. Martyris testimo-
 nium, quod habetur in calce Libri de exhortatione
 Martyrum. II. S. HILARIUS inter mortem impio-
 rum & poenam, secus ac Burnetus adserit, nul-
 lam intercedere moram scribit Tract. in Ps. 2.
 Excipit nos statim infernus: & decedentes de cor-
 pore,*

pore, si ita vixerimus, de via recta perimus.
 Testes nobis evangelicus dives & pauper, quorum
 unum Angeli in sedibus Beatorum, & in Abra-
 hae sinu locaverunt; alium statim pœnae regio su-
 scipit. Adeo autem statim pœna mortuum exce-
 pit, ut etiam fratres ejus adhuc in supernis ma-
 nerent. Nihil illic dilationis aut morae est. Quin
 idem Tract. in Ps. 65. Martyrum animas igne
 temporalium tormentorum purgatas ad refrigerium
 æternæ beatitudinis mox pervenire docet, dum
 ait: *Transivimus per ignem & aquam* (Glorio-
 sas videlicet Martyrum animas commemorat) *Et*
eduxisti nos in refrigerium. Hujus refrigerii
 & in alio loco meminit, dicens: *Convertere ani-*
ma mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit
mihi. Bene placebo Domino in regione vivorum.
Animam videlicet suam requiem beatæ illius resur-
rectionis hortatus, in qua post mortis hujus tem-
pore, omni humanarum calamitatum labe deterfâ,
non doletur, non fletur, non peccatur, sed vi-
vitur. In hujus igitur beatitudinis per ignem &
aquam refrigerium educti sunt. Dein Tract. in
Ps. 57. in hoc refrigerium jam deductum fuisse
S. Stephanum Protomartyrem significat. Quod si
autem Martyribus ex hac vita decedentibus cœlum
mox pateat, cur non etiam cæteris Sanctis plenè
purgatis? III. AMBROSIUS L. de bono mortis, post-
quam Libris Esdræ apocryphis usus habitacula ani-
marum post mortem c. 10. commemoravit, dixit-
que: Hæ sunt habitationes, de quibus dicit Do-
minus (Joann. 14.) multas mansiones esse apud
Patrem suum, quas suis pergens ad Patrem Di-
scipulis præpararet, de animabus in septimo or-
 Tom. II, O dine

dine positis disertè adfirmat c. 12. eas vultum ejus videre, cui sedulae servitutis obsequia detulerunt. Ergo quia justis hanc remunerationem habent, ut videant faciem Dei, & Lumen illud, quod illuminat omnem hominem, abhinc induamus hujusmodi studium, ut appropinquet anima nostra Deo . . . Videmus nunc per speculum in enigmate: tunc autem facie ad faciem. Et iterum: His igitur freti, intrepidè pergamus ad Redemptorem nostrum Jesum, intrepidè ad Patriarcharum concilium, intrepidè ad patrem nostrum Abraham, cum dies (utique mortis, de cujus bono loquitur) advenerit, proficiscamur. IV. S. CHRYSOSTOMUS Hom. 37. in c. 11. Matth. secretum animarum judicium agnoscit his verbis: Præsens hæc vita rectè vivendi occasionem & opportunitatem habet. Postquam verò diem tuum obieris, judicium & poena consequitur. Similia habet Hom. 14. in c. 14. Matth. inquit: Sicut illi, qui è carceribus educuntur, unà cum ipsis catenis ad judicium pertrahuntur: sic omnes animæ, cum hinc emigraverint, variis peccatorum poenis implicata, ad terribile ducentur tribunal. Nihil enim præsens vita differre videtur à carcere. Idem S. D. Panegyricum S. Juliani Martyris ita exorditur: Si tales in terris honores Martyribus deferuntur, postquam excesserint ex hac vita: quales coronæ sanctis eorum capitibus in cælis nectuntur? si tanta est ante resurrectionem gloria, quantus post resurrectionem erit splendor? Et Hom. 22. in c. 16. ad Rom. de S. Paulo ait: Paulus homo fuit, ex eadem nobiscum natura participans. Verùm quoniam multum dilectionis erga Christum ostendit,

dit, cœlos ipsos transcendit cum Angelis constitutus. In elogio S. Meletii Antiocheni, qui ante 5. annos migraverat ad Dominum, ait: postquam visum Deo fuerat, S. Episcopum vocare ex presenti vita, eumque referre in chorum Angelorum, orandum esse, ut nos superstites obtineamus illic posse esse prope beatum & æternum ejus tabernaculum. Idem Hom. 8. in c. 11. ad Philipp. de omnium Justorum animabus purgatis ita pronunciat: Non igitur lacrymis dignus est Justorum obitus, sed lætitiâ. Si ipsi gaudent, cum ipsis gaudendum est. Absurdum enim est, gaudentibus illis nos lugere . . . Gaudeamus igitur & nos, cum justum viderimus interiisse: nam discessit laborum suorum mercedem accepturus. Quæ autem fit ista merces, exponit Hom. 12. Sursum respecta, ubi palma est. Hic palmæ adspectus auget studium voluntatis; spes adimit laborum & molestiarum sensum. Longinquitas facit, ut bravium appareat exiguum. Quodnam illud est? regnum cœlorum, requies sempiterna, gloria cum Christo . . . Si palmâ potitus in cœlum iveris, magno illis cum honore poteris incedere. Iterum Orat. 4. in c. 11. ad Hebr. loquens de sacris ritibus, quibus justos in funere prosequitur Ecclesia, sic ait: Dic mihi, quid sibi volunt claræ lampades? annon eos tamquam athletas ducimus? quid autem hymni? annon Deum glorificamus, & gratias agimus, quòd eum, qui excessit, jam coronaverit? Denique Hom. 70. ad populum Antiochenum: Non malum est mors, sed malum, si mortuus tormentis tradatur. Neque rursus est bonum mors, sed bonum, si defunctus seculo, cum Domino vivat.

Peccatores, cum hic quoque supersunt, sunt omnibus miserabiliores, quoniam Deum offendunt. At Iusti, cum hinc quoque migraverint, felices omnino: ad Christum enim transferunt. Iusti sive hic, sive illinc cum Rege sunt, & illic amplius & propinquius, non per introitum, non per fidem, sed facie ad faciem. V. S. AUGUSTINUS Serm. 303. de S. Laurentio Martyre sic habet: Clauduntur oculi in persecutionibus, sed patet cælum. Mors infertur, sed immortalitas sequitur. Occiso mundus eripitur, sed restituito paradisis exhibetur. Vita temporalis extinguatur, sed aeterna reparatur. Quanta est dignitas, & quanta securitas exire hinc letum, exire inter pressuras & angustias gloriosum; claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus; aperire eos statim, ut Deus videatur, etiam feliciter migrando. Quanta velocitas? terris repente retraheris, ut regnis cælestibus reponaris. Et Tract. 49. in Joann. ait: Habent ergo omnes animæ, ut ex hac occasione instruam Charitatem vestram, habent omnes animæ, cum de Seculo exierint, diversas receptiones suas. Habent gaudium bonæ, malæ tormenta. Sed cum facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur. VI. Denique S. BERNARDUS Serm. 5. de Festo OO. Sanct. ait: Martyres primò commemorat, qui post multos agones jam nunc triumphant in cælis coronati, dein duplex Sanctorum genus distinguit, quorum alii versantur in cælo, alii in terris decerant. Illos tutò laudari posse inquit: Siquidem

non est, quod laudare vereamur verissimè certissimeque laudabiles: non est quoddam glorificare cunctemur sic absorptos in gloria, ut nostra omnino nequeant laudatione moveri. Et infra: Conservatio nostra in caelis est; verum tamen non sic nostra, sicut illorum. Ipsorum enim substantia ibi est, nostra autem desideria. Ipsi per praesentiam, nos per memoriam ibi sumus. Quando & nos adde- mur ad Patres nostros? quando essentialiter praesentabimur eis? hoc enim primum desiderium, quod in nobis Sanctorum memoria vel excitat, vel incitat magis; ut eorum tam optabili societate fruamur, & mereamur concives & contubernales esse spirituum beatorum. Et iterum infra, quaerendum nobis esse Deum ait in jejunio & fletu, non ita Sanctis, qui jam transferunt ex hoc mundo ad Patrem: nam de illis dictum fuit: *Iusti epulentur in conspectu Dei, & delectentur in letitia & exultatione. Qui nondum Iustus est, nonnisi in jejunio & fletu eum reperiat. Iustus autem, qui jam conspectum meruit, non qui adhuc vivat ex fide.* Idem Serm. 2. in Natali S. Victoris Conf. praeter alia multa de eo ait: *Jam caelos ingressus, quos & ante apertos beatis oculis suspiciebat, verè nunc revelatâ facie speculatur gloriam Dei, absorptus quidem, sed non oblitus clamorem pauperum.*

Exceptiones Burneti.

Obj. I. Sacri Antistites, & inter illos S. CYPRIANUS, quod minimè credebant, deprædicabant, eo consilio, ut alacriores ad certamina pro Christo Fi-

deles redderent argente persecutione. *Resp.* Nomen hæc impudentissima est calumnia, qua *Burnetus* onerat viros doctrinâ & sanctitate illustres? an qui Pastores erant & Patres, populum inani & falsâ opinione imbuerent? annon qui alios ista docebant, suo ipsi exemplo confirmabant, ubi pro Christo caput fortiter dedere? Neque unius Præsulis, sed omnium ferè certissima hæc persuasio erat. Hinc ubi *Cypriani* literas accepere *Moses*, *Maximus*, alique Confessores Romani, in carceribus ob Christi nomen macerati, epistolam & ipsi ad illum dederunt, (quæ est 26ta in Editione Pameliana) in qua sic loquuntur: *Ex tuis ergo literis vidimus gloriosos illos Martyrum triumphos, & oculis nostris quodammodo, cælum ipsos petentes profecti sumus, atque inter Angelos ac Potestates, Dominationesque cælestes constitutos contemplati sumus . . . Hoc ergo est, quod nobis animum in dies singulos erigit, & ad consequendos gradus tantæ dignationis incendit.*

Inst. Ex Verbis S. *Cypriani* supra laudatis etiam argui possit, Sanctis Martyribus cœli ostia obserata non fuisse; hoc tamen favore reliquas Justorum animas gaudere, ex illis non probatur. *Resp.* Atqui hanc ipsam Ecclesiæ *Carthaginensis* sententiam tunc fuisse, satis ostendit *PONTIUS Cypriani* Diaconus, dum in illius vita observat, neminem è præcedentibus ejus urbis Episcopis pro Christo sanguinem fudisse, & nihilominus ad Martyrum præmia illos pervenisse. Quin ipse S. *CYPRIANUS* in *L. de Habitu Virginum*, cum eas ad virtutum omnium studium hortatus esset, monita sua ita concludit: *Durate fortiter, spiritualiter pergite,*
perve-

pervenite feliciter. Tantum mementote tunc nostri, quum incipiet in vobis virginitas honorari. Hanc mentem suam S. Martyr luculentius manifestavit in Libro de Mortalitate. Invaserat Africanam teterrima pestilentia: jam mortem quisque in limine spectabat. Populum suum ut solaretur bonus Pastor, Regnum Dei, inquit, fratres dilectissimi esse cœpit in proximo. Præmium vitæ, & gaudium salutis æternæ, & perpetua lætitia, & perpetua possessio paradisi nuper amissa, Mundo transeunte jam veniunt. Jam terrenis cœlestia, & magna parvis, & caducis æterna succedunt.

a) Quamvis Ecclesia Catholica semper tradiderit, non solis Martyribus, sed cæteris quoque Sanctis lenè pugatis suam in cœlo sedem esse, quin expectandum sit supremum Christi judicium, ut illuc invehantur; unum tamen discrimen perpetuò inter utrosque constitutum fuit. Nempe S. Martyres, quia omnem culparum labem suo sanguine purgarunt, continuò cœlestis gloria excipit: Justis autem non eadem præmii celeritas semper manet. Qui aut innocentes, aut culpis per pœnitentiam prorsus eluti decedunt, nihil est, quod eos à cœlo moretur. Quibus verò purganda restant in altera vita, tum solum in patriam ingredi datur, ubi divinæ justitiæ factum est satis. Atque hinc est, quòd in Sacris jam in primitiva Ecclesia commemoratio fieri consueverit tam Martyrum, quam aliorum iustorum diversa tamen: *Eucharistica*, lætitiæ testis, erat Martyrum commemoratio: reliquorum autem Fidelium memoria propitiatoria erat.

Obj. II. S. HILARIUS in Ps. 2. ait: *Judicii enim dies vel beatitudinis retributio est æterna, vel pœnæ: tempus verò mortis habet unumquemque suis legibus, dum ad Judicium unumquemque aut Abraham reservat, aut pœna.* In Ps. 120.

ad v. 8. Dominus custodiet exitum tuum, &c. Non enim, inquit, temporis hujus & seculi est ista custodia, non aduri sole atque lunâ, & ab omni malo conservari; sed futuri boni expectatio est, cum exeuntes de corpore, ad introitum regni cœlestis per custodiam Domini Fideles omnes reservabuntur, in sinu scilicet interim Abrahæ collocati. Ergo. Resp. Ad 1mum. S. Patrem loqui de beatitudine, & pœnâ consummata, fatis colligitur ex verbis supra laudatis ex eod. Tract. in Ps. 2. Ad 2dum. S. P. duplex Beatorum regnum distinxisse videtur, alterum cum Christo usque ad resurrectionem duraturum, alterum verò æternum cum Deo, quin tamen negaret in utroque Beatorum animas Dei visione recreandas esse, quamvis putaret in regno Dei perfectiorem fore beatitatem. Certè Tract. in Ps. 67. ait: *Aequa judicii cœlestis & justa moderatio est, ut peccatores morte conficere, & justos lætitiâ munerari.* Quod verò ait, Fideles omnes in sinu Abrahæ interim collocati, niti videtur illâ opinione, qua putabat omnes animas quadam necessitate adstrictas esse, ut post mortem ad inferos descenderent. *Humana* (inquit in Ps. 137) *ista lex necessitatis est, ut conscriptis corporibus ad inferos animæ descendant. Quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit.* Quin tamen adfereret, hanc mansionem animarum apud inferos usque ad supremi judicii diem perduraturam esse.

β) Veterum nonnulli, quo nomine locum, in quem justorum animæ post mortem transferuntur, vocarent, dubii erant incertique. Alii cœlum, alii sinum Abrahæ, hi locum quietis, isti paradisum appellabant. Plurimi ta-

HOMIN. POST MORTEM. 585

men hunc locum, quo demum cunque vocabulo insigniretur, in cœlesti regione situm arbitrabantur. Qui illum extra cælum collocabant, nihilominus justorum animas inchoatâ beatitate perfrui non negabant, ipsamque tunc consummandam dicebant, cum Christus Judex venerit iudicaturus vivos & mortuos. De loco igitur, & gradu beatitudinis discrepabant, non autem de beatitudine ipsa. Ita S. PAULINUS tametsi disertè fateretur, se certum esse de beatitudine S. *Clari* Presbyteri Turonensis; incertus tamen erat, quo nomine *locum & sedem* *Piorum* vocaret, nec audebat statnere, an S. Presbyter requiescat in sinu Abrahæ; an sub cœlesti ara Domini, an in paradiso. En verba S. *Paulini*:

Sed quia tu non hac, qua corpus, sede teneris;

Qui meritis superis spiritus involitas;

Sive Patrum sinibus recubas, Dominive sub arâ

Conderis, aut sacro pasceris in nemore

Qualibet in regione Poli situs, aut paradisi,

Clare sub æterna pace beatus agis.

Hæc peccatorum bonus accipe vota rogantum.

Quin & Severus Sulpicius de S. Martino Turon. loquens in ep. 2. ad Aureliam Diaconum ita scribit: Est ille confertus Apostolis & Prophetis, & quâ pace Sanctorum omnium dixerim, in illo Justorum grege nulli secundus, ut spero, credo, confido, illis potissimum, qui stolas suas in sanguine Agni laverunt, adgregatus, Agnum ducem ab omni integer labe comitatur. Ex quibus etiam discimus, Severum vel Chiliastarum fabulam non credidisse, vel mutasse mentem.

Obj. III. S. AMBROSIIUS L. de Bono mortis, c.

IO. ait: Coronæ enim dies expectatur ab omnibus, ut intra eum diem & victi erubescant, & victores palmam adipiscantur victoriæ. Et c. II. Quartò quia incipiunt intelligere requiem suam, & futuram suam glo-

O o 5

riam

riam prævidere; eaque se consolatione mulcentes in habitaculis suis cum magna tranquillitate requiescunt, stipata præfidiis Angelorum. Et L. 2. de Cain & Abel, c. 2. Solvitur, inquit, à corpore anima post finem hujus vitæ; adhuc tamen futuri judicii ambigua suspenditur. Ergo. Resp. Postrema verba locutus est S. D. de Fidelibus adhuc viventibus: quorum plerique, & præsertim qui mundana & inutilia sectantur (hos enim tunc maximè monebat) ad finem præsentis vitæ deveniunt, incerti, quodnam de se futurum sit judicium Dei. Vid. num. 185. Ad priora quod attinet: Respondeo, S. Ambrosium Mediolanensem Episcopum electum & consecratum fuisse anno 374. cùm annum ætatis ageret 34tum. Obiit anno 397. Jam quo tempore, an junior, an veteranus Sacerdos librum de bono mortis scripserit S. AMBROSIIUS, scire refert. Equidem Monachi Benedictini censent, illum fuisse elucubratum circa annum 387. Verum tamen conjectura est, eundem scriptum fuisse, cùm nondum esset veteranus Sacerdos, nam ipse fatetur in ep. 45. ad Sabinum, se eo tempore composuisse librum de paradiso. Accedit, hanc temporum diversitatem statuendam esse, ne AMBROSIIUS à se ipso dissentiat, cùm certum sit, S. Doctorem in iis, quæ postremis vitæ suæ annis scripsit, aliter de statu animarum judicasse. Præterea observandum est, S. Patrem illa animarum habitacula didicisse ex L. 4. Esdræ apocrypho, quem tota Ecclesia tamquam adulterinum abjecit. Quæ autem fuerit sententia Ambrosii de animabus Justorum post hanc vitam, patet ex verbis illius supra laudatis, quibus adde, quæ habet c. 12. L. cit.

Sed

Sed nunc Pater (ita Redemptorem nostrum adloquitur (etiam atque etiam extende ad suscipiendum nunc pauperem manus tuas; aperi gremium tuum: expande sinus tuos, & plures suscipias, quia plurimi in Dominum crediderunt. Ibimus ad eos, qui recumbunt in regno Dei cum Abraham, Isaac & Jacob, quoniam rogati ad cœnam non se excusaverunt. Ibimus eo, ubi paradisus est jucunditatis, ubi Adam, qui incidit in latrones, nescit jam vulnera sua flere: ubi & Latro ipse cœlestis regni consortio gratulatur . . Ibimus eo, ubi servulis suis Dominus Jesus mansiones paravit, ut, ubi ille sit, & nos simus. Nisi itaque velis, S. Doctorem sibi manifestè contradicere, verba ex c. 10. objecta ita intellige, ut significant manifestationem aut perfectionem præmii aut pœnæ, quam omnes expectant in supremo Dei judicio, aut ea de corpore solùm dici, cui tunc pœna, vel gloria retribuetur.

2) S. AMBROSIUS in L. de Bono mortis, septem Justorum ordines, totidemque mansiones vel habitacula constituit. In primo ordine eas collocavit Justorum animas, quibus tantum est lætitia, quòd vicerint carnem. In 2do illas, quæ latantur, quòd securitate pœnantur. In 3tio eas, quibus est gaudium, quòd factorum suorum incertum supremo judicio non venerunt eventum. In 4to illas, quibus est lætitia, quia incipiunt intelligere requiem suam, & futuram suam gloriam prævidere, eaque se consolatione mulcentes, in habitaculis suis cum magna tranquillitate requiescunt, stipatæ præstidiis Angelorum. Atque hæcenus S. D. earum animarum ordines recensuit, quæ beatitudinem solum inchoatam adsecutæ sunt. Neque istud Catholicorum sententiæ obest: neque enim omnibus Justorum animabus sine discrimine statim à morte obvenire Beatorum gloriam credimus. Animas verò Justorum, quas in tribus

bus posterioribus ordinibus posuit, aeterna luce perfrui ex mente *Ambrosii*, satis produnt ejus verba. *Quintus* autem ordo, inquit, exultationis uberrimae habet suavitatem, quod ex hoc corruptibilis corporis carcere in lucem libertatemque pervenerint, & repromissam sibi possideant hereditatem. &c.

Obj. IV. S. CHRYSOSTOMUS *Hom. 39. in c. 15. v. 19. ep. I. ad Cor.* ait: *Quid dicis o Paule? quomodo in hac vita tantum spem habeamus, nisi corpus resurgat, licet anima maneat, & immortalis sit? & respondet sibi: Licet anima maneat, Licet millies esset immortalis, ut est: bona illa ineffabilia sine corpore non reportaret, quemadmodum nec puniretur. Omnia enim manifestabuntur ante tribunal Christi, ut unusquisque, quae fecit, itidem recipiat in corpore, sive bona, sive mala. Propterea dicit Apostolus: si in hac vita tantum spem in Christo haberemus, omnium essemus miserrimi: nisi enim resurgat corpus, incoronata manet anima extra illam beatitudinem, quae in caelis est. Et *Hom. 28. in ep. ad Hebr. c. 11. ad illa verba: Hi mercedem non receperunt, inquit: Nondum receperunt mercedem, sed adhuc expectant. Qui isthoc modo obiere, in tanta tribulatione, nondum illi acceperunt? Tantum habent temporis, ex quo vicerunt, nondum receperunt mercedem? Vos autem nondum finito certamine, moras agre fertis. Cogitate quae so, quid & quantum sit, Abrahamum & Apostolum Paulum expectantes, quando tu consummatus fueris, ut tunc tandem possint mercedem recipere. Ergo. Resp. Ad 1mum. S. Doctor eodem hic modo argumentatur, quo olim Apostolus, cujus verba**

verba interpretatur. Pugnabat PAULUS adversus Corinthios, qui vel animam & corpus perire in morte cum Sadduceis opinabantur, vel carnis solum resurrectionem negabant, animæ immortalitate retentâ. Utroque autem modo miserabiliores omnibus hominibus vocabat Christianos, si carnis resurrectio non daretur, quia & abstinebant in hac vita à voluptatibus, & Judæorum ac Gentilium odiis & vexationibus premebantur. Sublatâ verò resurrectione, spes quoque præmii in altera vita tollebatur, quia animabus, licet immortalibus, si Christus non resurrexerat, reliqua non erat spes certa salutis, utpote quæ non à morte solum, sed etiam à resurrectione Christi pendebat, *Qui (ut ait Apostolus ad Rom. 9.) traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Quod ipsum S. CHRYSOSTOMUS tradit *Hom. 39. cit. inquit: Si Christus non resurrexit, neque fuit occisus: si autem non fuit occisus; neque peccatum abolitum. Si autem non fuit abolitum, in eo estis.* In eo tamen, quod ait S. Doctor, animam sine corpore bona illa non reportare, nec puniri; suspicatur MURATORIUS, S. Doctoris verba interpolata esse, eoquod fidelissimus semper S. Pauli interpretes fuerit, Apostolus autem nihil omnino statuat *loc. cit.* de statu animarum post mortem, sed solum è certitudine resurrectionis Christi firmissimam de nostra quoque resurrectione doctrinam deducat. Ceterà ex claris S. Patris testimoniis supra laudatis patet, eundem cum Ecclesia Catholica de statu animarum post mortem nunquam non sensisse. Ad idum. Loquitur de expectatione mercedis perfectæ & consummatæ.

Obj.

Obj. V. S. AUGUSTINUS Enarrat. in Ps. 36. Serm. 1. ait: Ergo longe sit dies iudicii, quando erit retributio inuistorum, & iustorum. Tuus certe dies ultimus longè abesse non potest. In Enchir. c. 109. Tempus, inquit, quod inter hominis mortem, & ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquæque digna est, vel requie, vel ærumnâ, pro eo quod sortita est in carne, cum viveret. Et L. 12. de Gen. ad lit. c. 35. scribit: Quid opus est spiritibus corpora sua in resurrectione recipere, si potest iis etiam sine corporibus summa illa beatitudo præberi: tum L. 1. Retract. c. 14. de supremæ beatitudinis loco agens, inquit: Et Angeli quidem sancti quòd ibi sint, nulla quæstio est; sed de sanctis hominibus, utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, meritò quæritur. Jam enim corpore quidem corruptibili, quo anima adgravatur, exuti sunt: sed adhuc expectant etiam ipsi redemptionem corporis sui, & caro eorum requiescit in spe, nondum in futura incorruptione clarescit. Ergo. Resp. S. AUGUSTINUS L. 20 de civit. c. 7. ipse fatetur, se aliquando opinioni Chiliastarum adhæsisse; proinde mirum non est, siquid in ejus scriptis occurrat, quod eidem errori favet. Nihilominus ea semper principia tenuit, veluti de iudicio particulari, de pœnis impiorum post mortem, &c. ex quibus legitima fit consecutio eorum, quæ Ecclesia Catholica de Statu animarum post mortem credenda proposuit. Vid. num. 185. Sed tamen ad *immum*. Plena perfectaque inuistorum & iustorum erit retributio in die iudicii. Interea tamen animæ aut ple-

ctuntur,

stantur, aut cum Christo in cœlis exsultant. Nam
 S. D. in eadem Enarrat Serm. 2. *Divitis*, de quo
 Evangelium, animam collocat in gehennæ ignibus,
 tribulatis verò sic animos addit: *Brevis est labor,*
brevi temporalis tribulatio tua: qua finita venies
ad felicitatem infinitam. Pauci dies sunt tota vi-
ta hominis: quo labore transacto veniet regnum
æternum, veniet sine fine felicitas. Et in Enar-
 rat in Ps. 119. ad ea verba: *Heu mihi quia incolatus*
meus prolongatus est, ita habet: *Incolatus*
peregrinatio est. Incola dicitur, qui habitat in
terra aliena, non in civitate sua. Fratres mei,
cum peregrinatur homo, inter meliores vivit,
quàm in patria sua fortè viveret. Sed non sic est,
quando de illa Hierusalem cœlesti peregrinamur...
Quicumque inde peregrinatur, inter malos est,
nec recedere à malis potest, nisi cum redierit ad
societatem Angelorum, ut ibi sit, unde peregrin-
natur. Ibi omnes Iusti & Sancti, qui fruun-
tur verbo Dei sine lectione, sine literis. Quod
enim nobis per paginas scriptum est, per faciem
Dei illic cernunt. Ad 2dum. S. P. per abdita re-
ceptacula, per requiem nil nisi animarum beatitu-
dinem designat, ut liquet ex Enarrat. 4. in Ps. 30.
ubi ait: Abscondes eos in abscondito vultus tui.
Qualis est locus iste? non dixit: abscondes eos in
cœlo tuo. Non dixit: abscondes eos in paradiso.
Non dixit: abscondes eos in sinu Abraha. Mul-
tis enim nominibus loca futura Sanctorum in Scri-
pturis Sanctis posita sunt. Vilescat totum, quid-
quid præter Deum est. Qui nos tuetur in loco
vite hujus, Ipse post istam vitam sit locus noster.
Ergo erimus in vultu Dei absconditi. Et Serm.

251. ait: *Ibi (in cœlo) erit sanctificatio nostra plena, ubi cum Deo sine fine requiescemus.* Ad 3^{ium} Vult S. P., animas equidem ante resurrectionem carnis donari cœlesti beatitate, hanc tamen non fore ita completam, sicut post corporum resurrectionem. *Sed tamen,* ait ibidem, *minimè dubitandum est, raptam hominis à carnis sensibus mentem, & post mortem ipsâ carne depositâ, transcendens etiam similitudinibus corporalium, non sic videre posse incommutabilem substantiam (Dei) ut sancti Angeli vident, sive alia latentiore causâ, sive ideo, quia inest ei naturalis quidam adpetitus corpus administrandi.* Eodem modo responderetur ad ultimum. *Vid. num. 185.*

Obj. VI. S. BERNARDUS Serm. 3. de OO. Sanctis, *Advertistis, inquit, ni fallor, tres esse sanctorum status animarum. Primum videlicet in corpore corruptibili. Secundum sine corpore. Tertium in beatitudine consummata. Primum in tabernaculis: secundum in atriis: tertium in domo Dei..* Et infra: *In illam beatissimam Dei domum animæ nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, id est, nec Sancti sine plebe, nec spiritus sine carne.* Et Serm. 4. ait, animas interfectorum interim sub Christi Humanitate feliciter quiescere, in quam nimirum desiderant etiam sancti Angeli prospicere, donec veniat tempus, quando jam non sub altari collocentur, sed exaltentur super altare. Ergo. Resp. Ad 1^{um}. S. Abbas solum statuit perfectionem cœlestis beatitudinis advenire in resumptione corporis glorificandî, quamvis interim Sanctorum animæ ineffabili gloria fruantur. *Neque enim,* ait ibidem, *præstari de-*
cet

et integram beatitudinem, donec sit homo integer, cui detur. Acceperunt tamen justi jam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos. Stola prima ipsa est, quam diximus, felicitas & requies animarum; secunda verò immortalitas & gloria corporum. Ad 2dum. Serm. 5. de eodem Festo, Martyres primò commemorat, qui post multos agones jam nunc in cælis triumphant coronati. Dum itaque ait Sanctos sub Christi Humanitate feliciter quiescere, vult Sanctos Christi Humanitatis gloriam intueri, in quam ipsi etiam Angeli desiderant prospicere. Hanc verò Sanctorum felicitatem tunc consummatam fore, ubi animæ cum corporibus suis denuo conjunctæ fuerint.

Q U A E S T I O III.

Quid de visionis beatificæ tempore senserit JOANNES XXII.?

Quæstio hæc de visione beatifica coepta dicitur 186. circa annum Pontificatûs JOANNIS XXII. decimum quintum (creatus est autem Pontifex anno 1316., & obiit anno 1334.) Cùm enim Papa in Festo OO. Sancti. pro concione diceret, inter cætera ajebat: Sanctorum remunerationem ante Christi adventum fuisse in sinu Abrahæ, post illius in cælum ascensionem usque ad Judicii diem Beatos esse sub Altari Dei, h. e. sub præsidio & consolatione Humanitatis Christi; post judicium verò eos exalratum iri supra Altare, sc. supra Christi Humanitatem, eoquod non hanc solam, sed ejus etiam Divinitatem, ut in se est, conspecturi sint, utpote tunc visuri Patrem, Filium, & Spiritum